

B. M. II, 86.

h. 1714.

PK  
2182

ORIGINES IVRIS ELIGENDI  
ET PRAEDELIBERANDI  
PRINCIPVM ELECTORVM  
S. R. I.

ORDINIS PHILOSOPHORVM AMPLISSIMI  
AVCTORITATE

P R A E S I D E

IACOBO FRIDERICO KEESIO

A. M. ET ADVOC. IMMATR.

DIE XIV. CAL. DECEMBRIS MDCCCLXXV.

H. L. Q. C.

T V E B I T V R

CHRISTIANVS FRIDERICVS SCHMIDT

N V M E V R G E N S I S

---

L I P S I A E

E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A





18. 11. 18

ORIGINALIUM LIBRARIUM  
ET BIBLIOTHECAE  
MUSEI HISTORICO-NATURALIS  
S. R. I.  
ORDINIS S. STEPHANI AUSTRIACI



CHRISTIANUS FERDINANDUS  
VON PONICKAWA  
BIBLIOPHILUS







§. I.

*Instituti ratio. Definitio iuris eligendi  
et praedeliberandi.*



Quod apud omnes in confesso est, plures familias, ortasque exinde gentes sine civilis societatis vinculo frustra quietem et tranquillitatem appere, id quidem etsi ab ipsa hominum naturali conditione et animorum impotentia proficiscitur, non tamen eam vim habet, ut vnaquaeque gens in solis legibus ab rerum civilium essentia ductis persistere debeat, quin potius varios constituendi ciuitates modos respicienti et antiquorum pariter ac recentiorum populorum instituta repetenti memoria oppido patet, quanta sit in formis imperiorum definientis generis cuiusque nationis vis, et quam diuersi principatus et libertatis, cuius partem futuri ciues necessario transferre in principem debent, pro tanta ingeniorum diuersitate populis placuerint limites. Omnia autem ciuitatum vni principi parentium genera circumspicens, clariora libertatis vestigia profecto nusquam inuenies his, quae sunt electiuis regnis impressa, in quibus regnis mors vel abdicatio principis saepe maiestatem populo vel primoribus reddit, et pristina libertate renata, si qua regiae legis correctio futura ciuitati utilis videatur, sub noui imperii auspicia de arctioribus regiae potestatis limitibus conuenitur. Quid ergo mirum, Germanos, quos libertatis studiosissimos fuisse constat, electionem  
A 2 regum



regum successioni mere hereditariae <sup>1)</sup> antiquitus praetulisse? In quo quamquam diuersi fuerunt diuersis populis mores, et electio, ex quo Germanicae originis gentes, fractis debellatisque Romanis, in horum ditionibus regna instituerunt, sensim apud plerasque in ius hereditarium transit: in quavis tamen successione consensu populi opus fuit, quin nonnullae gentes plenum eligendi ius, multis seculis intermissum, reperire, quod praeter Visigothos in Hispania, maiorum nostrorum exemplo constat. Nam Germani illi, qui propter inhabitatas sedes originarias, post celebres gentium germanicarum migrationes, soli ex tot eiusdem originis nationibus auitum Germanorum nomen retinere, post casum Caroli Crassi, liberius autem familia Carolidarum cum Ludouico quarto prorsus extincta, ius reges futurosque Imperatores electione sibi praeficiendi, restituere, idque aliorum iurium contra principes electos tuendorum initium fuit. Quae iura quamquam vniuersae genti, maximeque primoribus eius, communicata sunt, praecipua tamen mox summi principes sibi vindicarunt, qui, tota electionis vi in se translata, exinde electores vocati, et, cum propter ipsius Imperii germanici, tum propter suam auctoritatem, exteris regibus fuerunt equiparati. Atque de horum principum electorum iuribus, vsu et consuetudine primum, mox etiam scriptis legibus firmatis, cum locum aliquem insigniorem decerpere constituissem, quem historiae luminibus illustrarem, illud in primis eorum

1) Tacit. de mor. Germ. c. 7. *Reges ex nobilitate, duces ex virtute sumunt* (h. e. eligunt.) *Nec regibus infinita aut libera potestas.* caet. Idem c. 22. — *de asciscendis principibus* — *plerumque in copiuuis consultant* (Germani.) Conf. Geo. Christ. Gebaueri diss. de regia apud

Germanos veteres successione; in eius *Vestigii iuris Germanici antiquiss.* p. 37. sqq. et (le Comte de Buat dans) les *Origines*, ou l'ancien gouvernement de la France, de l'Allemagne & de l'Italie. Tom. I. p. 27. sqq.



5

rum ius, quod electionis idque quod praedeliberationis nomine insignitur, accuratiore tractatione dignum visum est. Nam et haec ipsa iura ceteris electorum praerogatiuis, nisi mea me ratio fallit, longe antiquiora, harumque adeo fons atque origo sunt, et vero tanta eorum est amplitudo, tam latis finibus reguntur, vt, quanquam doctorum hominum opera hunc locum intactum non reliquerit, non desint tamen, quae vel addi, vel paulo aliter constitui posse videantur. In vniuersum quidem Electorum ius prae ceteris Imperii ordinibus Imperatorem designandi, iuris eligendi; ius vero imperatori in rebus grauioribus, ad Imperii Germanici salutem pertinentibus, decernendis prius consilia consentumque praebendi; quam ceteri Imperii status in deliberationem adhibeantur, iuris praedeliberandi nomine hodie venit. Fuit autem conditio vtriusque iuris antiquioribus temporibus, ab ea, quae hodie obtinet, pro variis vicissitudinibus, quas tota Imperii Germanici formula recentissimis hisce seculis subiit, nonnihil diuersa, vnde huic libello propositum erit, eam explicare, quae temporibus, Caroli V. Caesaris aetatem praecedentibus valuit. Quo minus enim recentioris iuris conditionem concertationesque eius occasione, cum inter ipsos Imperii status, Electores maxime atque principes, tum inter scriptores, sententiae publicae interpretes, ortas, memoremus, non solum Amplissimi Ordinis philosophorum, cuius auctoritate hic libellus in publicum prodit, legibus, quibus ea, quae ad disciplinas iuridicas pertinent, arcantur, sed etiam angustis, quibus hic libellus circumscriptus est, finibus prohibemur. Ceterum non dubitamus, fore nonnullos, qui, si opusculum nostrum euoluere non dedignentur, argumento proposito non omnino a nobis satisfactum existimabunt; quos, si, non a viris, in his litteris consummatis, profectum, sed scriptoris iuuenis earum, in quibus versatur, artium,



rium, nisi admodum gnari certe cupidissimi tirocinium esse, secum reputauerint, aequiores sine dubio iudices habebimus.

## §. II.

### *Principes primarii in veteri aula Caroli M.*

De iurium electoralium historia pro consilii ratione, ea solummodo adferemus, quae originem progressumque praerogatiuarum, principibus primariis vsu olim quaesitarum, iurisque eligendi praedeliberandique electorum hodierni basin efficientium, demonstrant atque illustrant. Quae res, vt cuncta ordine procedant, paulo altius repetenda videtur. Et primum quidem inter Germanos, vt inter alias gentes, eorum, qui generis nobilitate eminebant, praecipuam auctoritatem fuisse, TACITVS auctor est. *De minoribus*, inquit, *de morib. Germanor. cap. XI. rebus principes consultant, de maioribus omnes: ita tamen, vt ea quoque, quorum penes plebem arbitrium est, apud principes praetraherentur.*<sup>1)</sup> Duces autem, quos omnes Germanicae originis populi praeter eos, qui regnabantur, habebant, ab antiquissimo tempore gerendis bellis praeposuerunt, quo continuis cum Romanis bellis exercebantur, videntur sensim id nomen, apud potentissimas certe nationes, quibus aliae gentes minores sese in communi periculo adiunxerant, huius eo fortius propulsandi, perpetuandique foederis causa, contra priscum Germanorum morem, etiam in pace retinuisse vi militaris imperii, otio, quantum genius populi posceret, attemperata. Iam duces hi, quem-

<sup>1)</sup> ita me legere docuit pro vulgari: pertractentur Vir summus Io. Aug. Ernesti in notis ad h. l. Ceterum de comitiis veterum Germanorum conf. Gebauer. l. c. et Hert. Notit. Vet. Germ. Popul. P. I. Cap. 4. §. 4.



admodum militibus suis atque clientibus de potu, cibo, equis ceterisque in bello necessariis rebus prospiciebant, earumque omnium, quin domestici etiam decoris curam, quam ipsi soli agere in tanta dignitate non possent, per ministros officii sui gerebant: sic multo magis reges dapifero, mareschallo, pincerna, camerario, utebantur, qui quidem et a vicariis suis et a ducum comitumque ministerialibus distincti fuerunt. Hincmarus quidem in aulae Francicae officii Mansionarium quoque, quatuor venatores, Falconariumque commemorat, maxime tamen istos quatuor viros, Mareschallum puta, Dapiferum, Pincernam et Camerarium, cuius vices sub Meroueadis Domesticus gessit, <sup>2)</sup> cum Archicapellano et Palatii Comite, itidem ab Hincmaro laudatis, regibus necessario adiumento, ideoque omnium antiquissimos fuisse, ipsae res, quibus praefecti erant, persuadent. <sup>3)</sup> Qua de causa penes eosdem praecipuum aulae decus semper stetisse Io. Iac. Mascouius <sup>4)</sup> recte statuit. Neque enim inanes fuerunt tituli aut ministeria tantum accumbenti regi in solemnibus epulis honoris causa praesita, sed constat optimorum auctorum testimoniis, eosdem archiofficiales, cum archicapellano et palatii comite, qui res ecclesiasticas <sup>5)</sup> et civiles ad regem de-

2) vid. Hertii Not. vet. Francor. regni cap. 3. §. II. Domesticissimi nomen Caroli Calui camerario tribuit Aimoinus de gestis Francor. V. 32. Ludouicus rex Germaniae, persuadente Engilramno, quondam Caroli regis Camerario et Domesticissimo, rel.

3) De antiquitate horum officiorum conf. Bachovius ab Echt de morum cum iure scripto contentione qui auctore Herodoro IV. 71. monstravit, reges Scytharum iisdem ministris primariis vfos, et V. III.

Segeri Specim. Observation. ad erud. Orig. Iur. Publ. Germ. Obf. I.

4) In diss. de Origine officior. aul. S. R. I. §. 21.

5) Capitular. Francoford. de an. 791. apud Baluz. Tom. I. col. 270. „Dixit etiam Dominus rex in synodo, ut a sede apostolica licentiam habuisset, VT ANGLRAMNVM ARCHIEPI-SCOPVM IN SVO PALATIO ASSIDVE HABERET propter utilitates ecclesiasticas. Deprecatus est eandem synodum, VT eo modo, sicut



deserebant, iisque regia auctoritate ordinandis et iudicandis praeerant, et quorum illi summus Cancellarius sociabatur, primarios regi <sup>6)</sup> amicos atque intimum consilium adfuisse, <sup>7)</sup> sumptos ideo ex summa nobilitate, nempe ex illis ipsis principibus, qui tanquam primarii senatores regni, si forte in aula praesentes erant, aut conuentus publicos celebrabant, in idem sanctissimum consilium adhibebantur. Ita in *praefat. Legis Salicae*: *Distauerunt Salicam legem proceres ipsius gentis, qui tum temporis apud eam erant rectores.* — *Cum nos omnes Calendas Martias de quascumque conditiones una cum nostris Optimatibus pertractauimus.* Eo etiam pertinent pleraque diplomata Meroueadum ap. Baluz. in *Capitular. Reg. Francor.* et ap. Bouquet. in *Collect. Amplif. Rer. Franc.* in quibus fere semper occurrunt formulae: *Vna cum nostris optimatibus, fidelibus, pertractauimus.* *De consensu fidelium nostrorum.* *In nostra et procerum nostrorum praesentia.* Sed maxime tamen officialibus suis Carolus M. pro consiliariis vsus est iisque proximis a se ipso bellorum et pacis summam sub auspicio imperioque suo concedidit. <sup>8)</sup> Neque me poenitet eam pro-

*Angilramnum habuerat, ita ETIAM HILDEBOLDVM EPISCOPVM (Colontensem) HABERE DEBVISSET, quia et de eodem, sicut et de Angilramno, Apostolicam licentiam habebat. Omnis synodus consensit et placuit eis, eum in palatio esse debere propter utilitates ecclesiasticas.*"

6) Hincmarus de ordine Palatii. Inter eiusd. Ep. 14. ex quo tanto tutius disci potest aulica Caroli M. disciplina, quanto is plura repetiit ex Adalardo, ordinem palatii, qualis sub Carolo M. fuit, repraesentante.

7) Iam ad annum 696. Alberi-

cus Monachus trium fontium notat: Reges Francorum negotia regni per maiores aulae regiae administrabant, id est, per dapiferum, comestabulum et camerarium. Sed principem pincernarum non minore honore habitum, probat eustor vitae S. Boniti, Auernarum episcopi apud Surium. Cap. I, p. 245. ex quo discimus, eum Praesulem, cum Sigeberto Regi in primis carus esset, ab eo pincernarum principem institutum, nec multo post, a regis manu accepto annulo, Referendarium factum.

8) poeta Saxo apud Leibnitium p. 131, ad annum 782.

Vnde



profiteri sententiam, quam egregie tuitus est Illustrissimus de Buat,<sup>9)</sup> consiliarios et senatores regni, quorum nomina a Francis scriptoribus toties coniunguntur, neuiquam confundi debere. Illi enim palatii officia, hi prouinciarum pagorumque administrationem gesserunt. Quo minus vero Caroli M. imperium tanta optimatum potentia, quanta nunc Germanici regni status et in territoriis suis, et in generali conuentu gaudent, limitabatur; eo maior consilii in negotiis regni fuit auctoritas. Igitur de grauissimis rebus Palatini principes cum rege deliberauerunt, decretorumque de causis prouincialibus auctores iuasoresque fuerunt, adhibitis tamen, prouinciarum, earum potissimum, quarum res agerentur, praefectis.<sup>10)</sup> Atque haec tanta potentia Caroli M. quam successores eius aegre retinuerunt, ad aulicorum istorum officiorum dignitatem et vim in vniuerso regno augendam potissimum valuit. Magnam etiam a populo gratiam haud difficile inibant, per quos non priuati tantum suas ad regem preces dirigere, sed episcopi etiam et duces ac comites petita sua in palatio obtinere consueuerant.<sup>11)</sup> Itaque etiam prudenti

*Vnde Palatinis ad se tribus ipse  
vocat*

*Principibus, quorum fuerat Came-  
rarius vnus*

*Regis, Adalgsus, Heilo stabuli co-  
mes alter,*

*Ductores exercituum fore iussit eos-  
dem rel.*

Sane apparet, Palatinos principes (nam frequens et antiquum hoc nomen) neque alio sensu nec alios appellari praeterquam eosdem, qui in diplomate Friderici I. imperatoris, quo ex Marchione Austriae Ducem creauit, Archiprincipes Palatini vocantur.

9) I. c. Tom. III. lib. 8. c. 13.  
§. 2. sqq.

10) egregie hanc Imperii Carolini maiestatem delineat Generosiff Ohlenschlager. in der Einleitung in die Gesch. der deutsch Reichsabschiede Cap. III §. 8. not. a.

11) Igitur synodus apud Carissiacum celebrata an. 858. petiit a Ludouico Germaniae rege, cum fratris Caroli regnum inuasisset, vt munus archicapellani in palatio restitueret. Locum epistolae ex Sirmondo Tom. III. p. 122. excitaui. Mascouius I. c. §. 5. vbi ipsi patres precum suarum rationes produunt. *Si episcopus in-  
quiunt*

B



denti Caroli M. instituto ex diuersis populis, quibus imperabat, delecti sunt, vt singuli patronum e ciuibus suis apud regem haberent, et rex facilius prouinciarum necessitates cognosceret.<sup>12)</sup> Quanta vero eorum fuerit eminentia vel inde liquet, quod Grimoldus abbas S. Galli ob archicapellani dignitatem in actis de indulgentia Ludouici regis Germaniae Salomoni et Theodorico episcopis praeponeitur. Quaequam ita sint, quis duces ac primates haec munera ambiisse, quis, cum archiprincipum vox primos inter ceteros principes denotet,<sup>14)</sup> iis tandem hoc ipsum nomen additum esse, miretur? Non igitur omnes episcopi, abbates, duces et comites, et qui praeter eos a reliqua multitudine segregati in comitiis regni Francorum de vniuersa re publica deliberabant, inque autumnalibus placitis adeo soli aderant, sed isti regum officiales, potissimum primarii, sub Caroli M. et familiae Carolingae imperio summos hosce honores gesserunt, maioresque res in comitiis proponendas vel propositas praetractarunt,<sup>15)</sup> epi-

quiunt, pro quacunque necessitate ecclesiastica ad Vos direxerit. ad quem suus missus veniat, per quem, quae rationabiliter petiit, obtineat in palatio Vestro, sicut Comes palatii est, in causis reipublicae ministerio congruo constitutum habere.

12) Hincmarus Rhemens. in epistola ad Episcopos Galliae pro recta noui ac iuuenis regis institutione in Adalardi Oper. Tom. II. p. 209. In electione horum ministrorum observabatur, vt, si fieri posset, SICVT REGNUM EX PLVRIBVS REGIONIBVS CONSTABAT, ex iisdem etiam diuersis regionibus — Ministri constituerentur, vt eo familiariter quaeque regiones palatium adire possent,

tum suae genealogiae vel regionis consortes in eo locum tenere cognoscerent. Ministri publici qui fuerint egregie docet BOUQUETVS in Droit public de France éclairci par les monumens de l'antiquité p. 130. fgg.

13) Id ex Baluzio ad Petr. de Marca de Concordia Imperii et Sacerdotii lib. I. p. 219. notat Massov. I. c. §. 7.

14) Beemann in syntagm. dignitat. disp. X. cap. 3 §. 2.

15) ita Hincmarus in ep. I. ad Ludouicum Balbum c. 10. De generalibus ecclesiae ac regni negotiis sine generali Primorum regni consensu et consilio secretum dare consilium nefas.



adductis senatoribus regni primariis i. e. ducibus atque archiepiscopis peculiari officio palatino non exornatis, aliis etiam episcopis et comitibus insignioris prudentiae atque auctoritatis in consilii eius ac praerogatiuae societatem. Etenim non eo usque coniectando progrediar, ut aut praecipua aulae officia iam Carolidarum temporibus hereditaria facta, vel cum ducibus quibusdam atque episcopatibus perpetuo iure coniuncta fuisse, opiner, aut numerum septenarium archiprincipum iam eo seculo definitum esse existimem, quarum opinionum vanitas luculentissimis proborum auctorum testimoniis conuincitur. Sed magni tamen momenti est ad statum insecuti temporis aestimandum, nosse aulae et regni Carolini instituta, et diuersos principum ordines ac praerogativas in deliberandis negotiis exinde cognoscere. Quippe cum praeractatas a principibus palatinis grauissimas imperii res esse dicimus, maiorem ipsis auctoritatis praerogatiuam tribuimus, quam Taciti iam aetate principes cuiusque nationis Germanicae in conciliis habuisse e loco supra in medium adlato constat. Haec praedeliberatio, quousque aliqua penes plebem in comitiis regni auctoritas fuit, cunctis principibus semper mansit. Sed maxima principum palatinorum, dignitas et apud reges Francorum gratia caeterorum tandem auctoritatem sic vicit, ut ipsi etiam ante ceteros principes non secus, atque deinde hi omnes ante reliquam multitudinem, consultarent, neque tantum res minores, de quibus in comitiis agere opus non esset, soli decernerent, sed maiora etiam atque vniuerso populo proponenda regni negotia praeractarent. Hic primus nouae dignitatis gradus in praedeliberandis rei publicae negotiis; haec non tenuia viae ad maiorem auctoritatem initia principibus Imperii nostri primariis fuerunt sub imperio regum Francorum. Quemadmodum vero in antiquissimis Germanorum comitiis



*rex,*<sup>16)</sup> *vel princeps, prout aetas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia erat, audiebantur; sic in ipsa de successoribus regum deliberatione primarias eorum partes et suffragii insignem praerogatiuam fuisse nemo dubitet, qui non in regio tantum ministerio, sed in nobilissimis regni principibus antiquitus eos censi non dememerit.*

§. III.

*Quenam eorum iura post Carolum Crassum, ad Ottonem usque III.*

Praeconsultare vero ut imperator potuerit cum principibus primariis, duas partes adfuisse, ratio quidem ipsa postulat. Solio igitur Imperatorio vacante ius praedeliberandine cogitari quidem posse videtur; re vero melius perspecta, et praconsultare, quatenus certorum principum praecedentem deliberationem inuoluit, ceterorumque consilia consensumue certis in negotiis prius excludit, quam hoc insigniti iure suo consensu negotium propositum approbauerint, eatenus et ius nouum eligendi regem certis Germaniae principibus ita proprium, ut reliqui horum electioni stare teneantur, huius praconsultationis effectum esse, nullus unquam negabit. Quam enim consensus praestantiam viuo rege sibi huc usque adquisuerant Imperii primates, eandem et in eligendo nouo rege, negotio omnium sane grauissimo, interregni tempore sibi extorqueri haud passi sunt. Temporis successu vero iidem ad eum honoris gradum perducti sunt, ut quod huc usque in aula regia nomine populi mandatario statuerant, sensim populo non amplius interrogato statuere ausi sint, tacito populorum consensu, tanquam huius iuris titulo innixi. Quod tamen singulis sub Imperatoribus fere creuit,

16) Verba sunt Taciti de mor. Germ. c. II.



creuit, non omnium tamen Imperatorum vitis nominatim inhaerere visum est, sed eorum tantum mentionem faciemus, quibus, quid profecerint, perdiderintue archiprincipum iura, intelligitur. Mos primas partes in summa reipublicae Germanorum administranda sibi vindicandi, regis creandi ergo ante inter se tractandi, quam populus suam declarabat voluntatem, quem a principibus numquam fere non seruatum videbimus, origini Germanorum Imperii, ex quo regibus paruit electis, propemodum coaeuus est. Ex quo enim, post Caroli Crassi casum, diuersa regna sub eius imperio coniuncta, singulos reges sibi praeficere decreuerunt, regni Germanici principes, populo probante, eligendi regis causa, consilia iniuisse, eius aevi monumenta probant. Ita *Arnulphum*, Reginone teste, <sup>1)</sup> *Optimates regni ultro in regnum attraxere.* Ludouicum, Infantem quem vocant, principum praeuio consilio, postea demum populi suffragiis confirmato, corona cinctum fuisse, testatur Hattonis, Archiepiscopi Moguntini, epistola, Ioanni IX. pontifici missa <sup>2)</sup>. Conradus I. porro, licet Luitprando <sup>3)</sup> a cunctis populis electus dicatur, id tamen haud *κατὰ πρόδα* vrgendum esse, neminem, eundem cum Dithmaro <sup>4)</sup> comparantem, latere poterit, qui Ottonem Saxoniae ducem ab omnibus regni principibus electum in regem, Conradum sibi praeposuisse refert, cum dubio procul iisdem Conradum eligendi consilium suppeditauerit, a quibus ipsi Germaniae corona oblata erat, id est, regni principibus, quos ideo et Conradum, populis quanquam mi-

B 3 nime

1) in Chronic. ad annum 887. Cf. Annales Fuldenses ad annum eundem.

2) apud Hund. in Metrop. Salisb. I. 47. — *Factum est, scribit, ut filius senioris nostri, quamuis paruissi-*

*mus, COMMUNI CONSILIO PRINCIPUM et totius populi consensu in regem eleuaretur.*

3) in Histor. rerum in Europ. gestar. Lib. II, c. 7.

4) in Chronic. lib. I, apud Leibn. in scriptor. rer. Brunuic. p. 325.



nime exclusis, elegisse, non est cur dubitemus. Cuius rei veritas eo magis firmatur, quod successorem eius Henricum I. communicato cum principibus a Conrado I. moriente antea consilio, populis plerisque probato regiam dignitatem consecutum esse narret idem Luitprandus l. c. Hinc eorum sententiae calculum adiciere dubito, qui, tam temporis ad Ottonem usque regiam dignitatem hereditariam fuisse, defendunt, quos inter Senckenbergius <sup>5)</sup> atque Schmaufius <sup>6)</sup> eminent, qui Germanos filium a patre rege successorem designatum pro rege postmodum agnouisse credunt, cum tamen eiusmodi designatio, etsi praecefferit, nullum effectum sortiri potuerit, nisi electione principum subsecuta populisque anuentibus rata fuerit habita, quo ipso sponte sequitur, ante electionem nullum ita designatum unquam succedendi iure gauisum esse, ideoque hanc designationem liberrimae electioni officere haud potuisse. <sup>7)</sup> Pergo ad Ottonem M. cuius electionem a ducibus et principibus peractam populique acclamationibus firmatam, summo *ἀντιβέβαιος* studio litteris mandauit Wittekindus, <sup>8)</sup> qui Ottonem M. a principibus electum a populis confirmatum refert, hosque enumerans Boioariorum quidem atque Sueuorum mentionem non facit, eosdem tamen

5) in den Gedancken vom lebhaftesten Gebrauch des deutschen Staatsrechts. Cap. III. §. 53.

6) im Auszug der Reichshistorie. Cap. IV. §. 7.

7) quam Germaniae libertatem in eligendo rege etiam vindicauit Strubom. in den Nebenstunden. 4. Th. p. 115. sqq.

8) Wittek. L. II. Annal ap. Meibom. in script. rer. Germanic. Tom. I. pag. 642. dicit: *Defuncto — Hen-*

*vico omnis populus Francorum atque Saxonum iam olim designatum regem a patre filium eius Oddonem elegit sibi in principem. — His addit: — Duces ac — principes — (Ottonem) more suo — fecerunt regem. Et paulo post: Pontifex — reuersus ad populum, qui circumstabat — en, inquit, adduco vobis — A CUNCTIS PRINCIPIBUS regem factum Oddonem: si vobis ista electio placeat, dextris in coelum leuatis significate. Ad haec omnis populus dextras in coelum leuabat.*



tamen sub Francis comprehendit, quos cum Saxonibus regem elegisse tradit. Illis etenim temporibus Franciae nomen durabat adhuc Germaniae vniuersae, nisi quod Saxones saepe discernerentur, vt serius Francorum regno additi, moribusque et institutis ab hisce diuersi. Inaugurationis actum vero si consideramus, in eo archiofficiales munere suo functi sunt; quatuor<sup>9)</sup> enim, quos seculares vocant, disertis verbis enumerat<sup>10)</sup>. Archiofficiales hos in omnibus maioris momenti rebus Imperii gerendis, Imperatori prae ceteris a consiliis fuisse, praeter Mascouium,<sup>11)</sup> Generosiss. Ohlenschlagerus<sup>12)</sup> nobiscum credit. Caeterum nec archiofficia illa, nec archicancellariorum munera vel certae familiae vel certae sedi ecclesiasticae eo tempore propria fuere. De archiofficiis saecularibus dubitare nos non patiuntur sequentium temporum acta, quae plane diuersos ab iis, quos memorauit Wittekindus principes iis praefuisse testantur. De archicancellariatus id ipsum accurate ostendit Vir summus Io. Ludov. Boehmerus,<sup>13)</sup> qui Ottonem nullo discrimine nec excluso Salisburgensi praefule, eo archiepiscopo tamquam archicancellario vsus fuisse probat, qui fortè in aula imperatoria versabatur vel in cuius dioecesi ipse commorabatur. Inde a Guillelmi tamen,

9) Camerarium adfuisse negat Senckenberg. l. c. p. 188. Saxonem, qui ipse erat imperator, camerarium tum fuisse, statuens.

10) Lib. II. Annal. p. 643. *Duces vero, inquit, ministrabant. Lothariorum dux Giselbertus, ad cuius potestatem locus ille pertinebat, omnia procurabat. Euerhardus mensae praeerat, Herimannus Franco pincernis, Arnulfus equestri ordini et eligendis locandisque castris praeerat.*

Idemque in curia solenni sub Ottone III. Quedlinburgi celebrata obseruat Dirhmarus Lib. IV. *Quatuor ministrabant duces: Henricus ad mensam, Conradus ad Cameram, Helcilo ad Cellariam, Bernhardus equis praefuit.*

11) in Iur. Publ. §. 23. p. 178.

12) in der neuen Erlaeut. der gülden. Bulle, p. 47. sq. et pag. 57.

13) in progr. de Archiepisc. Coloniens. Archicanc. per Germ. sub Ottone M. §. 4.



tamen, Ottonis M. filii naturalis, archiepiscopatu Moguntini praefules rerum germanicarum expeditiones sibi solis vindicare coepere. Cum anno 973. fato functus esset Otto M. filius Otto II. regnum, quod ipsi, viuo iam patre, *consensu et unanimitate regni procerum totiusque populi*, vt verbis vtar Continuatoris Reginonis ad annum 961. promissum erat, adeptus est. Qui hunc excepit, Otto III. a regni proceribus anno 953. rex electus est, teste Sigeberto Gemblacensi, <sup>14)</sup> qui eos inter se *de imperatore substituendo dissensisse, tandem vero Ottonem puerum in regno sublimasse* tradit. Notandum adhuc, eodem regnante, vestigia clariora reperiri, Principum regni consensum regi, de causis grauioribus statuendi, fuisse necessarium, quod docent tabulae donationis a Io. Geo. Eccardo in Hist. Geneal. Princ. Sax. p. 295. exhibitae, in quibus Otto III. imperator fatetur: — *se ad perfectum suae voluntatis sine magnatorum* <sup>15)</sup> *suorum consilio peruenire prohibitum esse.*

#### §. IV.

##### *Iura archiprincipum sub Henrico II. et Salicis Imperatoribus.*

Morem, communi omnium suffragio in comitiis vniuersalibus pariter ac particularibus sub cuiusuis provinciae ducis praesidio habitis sibi regem praeficiendi, quem populi Germanici cis et transrhenani vsu huc vsque seruauerant, etiam post Ottonum aeuum obtinuisse, non est quidem, quod dubitemus; principum tamen suffragia, de quibus inter se conferendis semper solliciti erant, electionibus omnem vim addidisse videntur. Caute enim discrimen notandum inter con-

<sup>14)</sup> cf. Bern. a Mallinkrot de Archicanc. S. R. I. p. 31. et 35.

<sup>15)</sup> quo nomine archiofficiiles acute intelligit Vir Illustr. Jac. Heur.

Bornius in dissertatione politissima *Potestatem iuris dicendi cum archimaresballatu Saxoniae copulatam exhibente*, §. 2.



conuentus populorum, vbi throni candidatis vota ferebantur, et inter subiecutam electionem archiprincipum, a quorum auctoritate summa rei fere pendebat. Thancmarus electionem Henrici II. his verbis describit in vita S. Bernardi. Cap. XXXIV. p. 457. „Fit mirabilis, Dei misericordia in electum adunatio, vt popularium vota Primorum praeuenirent studia, nam sicubi publici conuentus cogebantur, vox ima vulgarium: Dominum Hinricum debere imperare, ipsum, non alium quemlibet rebus debere praeesse. Omnibus ergo pari voto in electione illius concordantibus, Willigifus archiepiscopus — cum ceteris regni principibus Dominum Hinricum Moguntiam cum summo honore ducentes, — regimen et regiam potestatem cum dominica hasta illi tradiderunt; vbi obseruatione dignum est, iam tum mirabile visum fuisse, quod vota plebis Primorum electionem praecesserint. Nam principes plebi vix quicquam praeter adprobationem, peracta electione, relinquebant, populique voluntas antea declarata, candidato commendationis tantum loco apud primores erat. Principum autem nomine hoc loco non solos Archiprincipes, sed alios etiam vtriusque reipublicae viros primarios intelligimus. Homines sacro ordini adiecti separatim collocabantur, sententiamque primi rogabantur, qua proposita, reliqui suffragia ferebant. Egregie haec illustrat Wippo <sup>1)</sup> in descriptione electionis Conradi II. cuius ipse

1) In vita Conradi Salici apud Pistor. in scriptor. rer. Germ. Tom. II. p. 463. *Quaeritur, inquit, de re summa, dubitatur de electione incerta; inter spem et metum suspensi alterna desideria — diutissime explorabant — Cum diu certaretur, quis regnare deberet — inter multos electi pauci sunt. et de paucis admodum duo sequestrati sunt, in quibus examen extremum, summorum virorum (archi-*

*principum) summa diligentia diu de liberatum, in unitatis puncto tandem quieuit. Et paulo post pag. 465. sumto iudicio concordiae, confedere principes, populus frequentissimus adstabat:*

*Tunc quod quisque diu velatum corde tegebat,*

*Ferre palam, licitum gaudebat tempus adesse.*

C

Archi-



ipse testis fuit. Sub Salicis Imperatoribus, in primisque in illis, quibus Imperii fundamenta concussa sunt, Henrici IV. atque V. cum summis Pontificibus diffidiis ducatus hereditarii facti sunt, quin ipsa etiam archiofficia, vti probabili coniectura Ohlenschlagerus <sup>2)</sup> docet, ab eo tempore hereditario iure in filios natu maiores cum ipsis ducatus transiisse videntur. Hinc magnopere aucta ducum potentia, atque hi cum tribus Archiepiscopis Rhenanis, quorum summa semper in electione, vt in aliis Imperii negotiis grauioribus, auctoritas fuerat, Seculo XII. omnem iuris eligendi vim sibi vindicauere.

§. V.

*In eligendo Lothario II. reliquorum ordinum votis ab electione excludendis operam nauarunt. Ratio cur hi tacite consenserint?*

In electione Lotharii II. Saxonis magnus quidem aliorum principum numerus adfuit, eorumque aliqua fuit in praesentia regis designatione auctoritas, quod apparet ex *Anonymi Narratione de electione Lotharii Saxonis in Imp. Rom.* (apud Eccardum in quatern. vet. Monument. p. 47.) At ipsam electionem archiprincipes iam peregrisse, eaque peracta, reliquis principibus, quem elegerint, declarasse, <sup>1)</sup> haec eiusdem scri-

*Archiepiscopus Moguntinensis, cuius sententia ante alios accipienda fuit, rogatus a populo, quid sibi videretur? abundanti corde, hilari voce laudauit et eligit maioris aetatis Chunonem suum in Dominum et regem atque electorem et defensorem patriae. Hanc sententiam ceteri Archiepiscopi et reliqui sacrorum ordinum viri indubitanter sequebantur. Iunior Chuno paululum cum Lotharingiis placitans, statim reuersus, maximo fauore illum*

*ad dominum et regem elegit. Tunc singuli de singulis regnis eadem verba electionis saepissime repetebant: sit clamor populi: omnes unanimiter in regis electione PRINCIPIBUS consentiebant. Conf. Senckenb. I. c. pag. 144.*

2) in der neuen Erlaeut. d. güld. Bulle, p. 75.

1) Quem actum praetaxationem s. praetraactionem principum appell-



scriptoris verba probabiliter ostendant: „*Accito igitur duce Bauarico — VNANIMI CONSENSV AC PETITIONE principum Lotharius Rex sublimatur in regnum. Concordantibus itaque in electione regis vniuersis regni principibus, quid iuris regine dignitatis imperium, quid libertatis reginae coelestis, id est, Ecclesiae sacerdotium habere deberet, stabili ratione PRAESCRIPTVR, et coeptus utriusque honoris modus spiritu sancto dictante praesigitur.* Conradum III. tumultuaria electione, excluso Henrico superbo, qui aliis magnanimus habetur, Saxoniae Bauariaeque duce, principum suffragiis in imperiale solum euectum fuisse, Otto Frisingensis docet.<sup>2)</sup> Et hae quidem iuris eligendi origines fuere. Tantam autem archiprincipibus praerogatiuam accessisse, nemo mirabitur, qui, quanta eorum potentia, quae formula imperii regendi inde a tempore declinantis extinctaeque Carolidarum familiae vsque ad Friderici I. aetatem obtinuerit, secum perpenderit. Nam cum ductorum gentium Germaniae maiorum summa post regem imperatoremue auctoritas esset, ordinesque cum ciui-

C 2

pellant medi aevi scriptores, quorum alii, cum electiones Imperatorum describunt, de praetaxatione hae maiorum principum, de populi assensu infecuto alii, alii de utroque interdum loquuntur; quod qui obseruat, nullo negotio illorum scriptorum dissentium non nunquam obuium conciliabit, quem nonnulli reges a proceribus, alii eosdem a populo electos referant. Cuius rei elegans exemplum adfert Cocceii in Iur. Publ. Prudent. C. XIV §. 5. Eandem, quam nos formauimus praetaxationis notionem, suppeditat Struuius in System. Iur. Publ. diff. XVI. §. 12.

2) de Gestis Frider. I. Imp. lib. I. cap. 22. apud Vrsif. in German. Historic. illustr. Tom. I. p. 418. *Defuncto Imperatore Lothario. ac in monasterio Lutre — humato, PRINCIPES REGNI apud Galliae Oppidum Confluentium — conueniunt, et de eligendo principe consilium inueniunt. Igitur Conradus Friderici Ducis Frater ab OMNIBVS, qui aderant, exposcitur ad regnumque leuatus in palatio Aquis coronatur.* Tò omnes de minorum principum personis aliisque, qui horum solemnium causa curiam perierant, recte interpretatur Jac. Carol. Spenerus im deutsch lere publico, Lib. 2. p. 165. nor. (c)



bus, in cuiusque ducatu constituti, auctoritatem eorum comiter colerent, hi totius gentis nomine, initio precario mox quaesito obseruantia iure, agebant. Namque eadem tempora, quae ducum summae potentiae, etiam eligendi iuri ortum dedere. Eorum autem sententiae immorari operae pretium non est, qui ius eligendi e pacto inter Caesarem et summum Pontificem inito, deriuant,<sup>3)</sup> quos plurimi scriptores erroris conuicere.

### §. VI.

*Archiofficia vera electoralis dignitatis origo; haec, an fons sit iuris praedeliberandi?*

Ex dictis nemo non videbit, archiprincipes praedeliberandi ius vsu et patientia populorum reliquorumque statuum, seu, breuius, tacito ipsius Imperii consensu acquisiuisse. Vtrum vero hocce ius electorali dignitati, an haec illi ortum debeat? paucis videamus. Et mihi quidem ius praedeliberandi electorali dignitate antiquius, verumque eius fundamentum videtur, si quidem ita eius fines regas, vt non consilia principum modo primariorum inter se agitata, sed ea quoque, quae Caesari suppeditabant, praedeliberationis nomine complectaris, namque Archiofficiales antiquitus ab interioribus consiliis regibus atque imperatoribus fuisse, supra ostendimus. Atqui archiofficialis dignitas a ducibus administrata, iisque mox propria fuit, a quo tempore vtrique dignitati mutua auctoritas accessit et in dies aucta est. Henrici IV. iam aetate duces non consilia tantum suggerebant Regi Caesariue, sed consensus eorum ad res grauiores gerendas

3) Eruditorum de origine Electorum sententias larga manu suppeditat Pfeeding. ad Vitriar. l. 13. pag. 1034. sq. Conf. lo. Guil. Iani iudi-

cia Eruditorum de Origine Elect. Wittenb. 1729. 8. Quas nec recensere nec refutare huius loci est.



das necessarius habebatur, vti docet Lambertus Schaffnaburgensis. 1) Quae ducum in deliberando auctoritas sequentibus temporibus non imminuta, sed impense aucta est. Neque tamen, vt de his fusius agamus, necessarium videtur, quoniam ius deliberandi praedeliberandique eadem cum ipso eligendi iure incrementa cepit.

### §. VII.

#### *Mutatio archiofficioium sub Friderico I.*

Conrado III. satis functo primates Imperii 1) more prisco de praedeliberatione super nouo rege eligendo instituenda literis nuntiisque tractabant, 2) dein Francofurti conueniebant. Qua praeconsultatione instituta precibus ceterorum, Italicorum quoque principum ipsiusque Conradi III. morti vicini commentatione moti Fridericum I. qui coronam Imperialem gereret, dignum iudicauerunt. Quamuis vero solemnitate magis, quam necessitatis gratia, populus, priscae consuetudini nondum dissiuetus, electionis actui plaudebat, ceterorumque adeo principum mentionem faciant eius aevi scriptores, tamen, vti supra diximus, totius electionis cardinem in sum-

### C 3

1) De rebus gestis German. ad ann. 1076. ap. Pistorium. Tom. I. p. m. 237. (Rex) *Missis circumquaque nuntius, omnes regni principes — Wormatiae sibi occurrere iussit, quid facto opus esset, communi consilio, vt praerenderat, deliberaturus. Statuta die, ceteris amplo satis numero occurrentibus, nullus aderat DUCVM — QVORVM POTISSIMUM AVCTORITATE, si res tranquillae essent, SVMMAM PVBLICORVM NEGOTIORVM DISPONI OPORTEVERAT. Ita contentus ille principum, cassata voluntate regis, nullum habuit effectum.*

1) Wibaldi Epistol. in Marrene Collect. ampl. vet. monum. Tom. II. p. 515. *Coeperunt deinde SVMMI PRINCIPVM sese per nuntios et literas de habendo inter se colloquio pro regni ordinatione sollicitare, sicque — electus est cum summo vniuersorum assensu, is, qui nunc rerum potitur, Fridericus, Dux antea Sueviae.*

2) Otto Frisingens, de Gestis Frider. I. Imp. L. II. c. 1. apud Vrflisium l. c. p. 447. *Anno — ab incarnatione domini 1152. decedente in ciuitate Babenbergensi piissimo rege Conrado*



morum s. archiprincipum praelectione versum esse, grauibus euincit argumentis Generosiss. de Senckenberg<sup>3)</sup>). Ceterum Friderico imperante iura et conditio Archiprincipum mirum in modum sunt mutata. Dignitas archiofficialis enim temporis lapsu magis magisque firmata, numerum Archiprincipum determinauerat, quos Fridericus, monarchiam successoriam moliens, sibi obstituros praeuidit, quapropter in proscribendo anno 1180. Henrico Leone, Saxoniae et Bauariae duce, occasionem praesentissimam, finis obtinendi inuenisse ratus, Principes, Comites ciuitatesque nonnullas antea ducis auctoritati subiectas, sibi sine medio subesse iussit. Iam plerorumque Imperii procerum eadem iura, eadem dignitas, itaque fieri, imminuto iam antea ducatu Franconico, vix poterat, quin reliqui populis iam praefecti eadem iura ac archiprincipes affectarent, quae procul dubio consecuti fuissent, seu, verbo, electoralis dignitas tota peritura fuisset, nisi idem Fridericus, dirutis ducatibus, archiofficia aliis denuo contulisset; archipincernatum enim Bohemiae regi Vladislao, maxime sibi caro, contulisse videtur, fortassis etiam quia Fridericus, vt rex ei inferuere, quam dux, malebat. Archicamerariatum, marchioni Brandenburgico<sup>4)</sup> concessit, archidapiferatus vero honore, Bauariae ducem, propterea ornasse censeo, quia Ludonicus, Palatinus Comes, ac Henricus, Bauariae dux, cum

*sado III. Nonas Martii — in oppido Franconesurt. de tam immensa transalpini regni latitudine uniuersum (mirum dictu) principum robur, non sine quibusdam ex Italia baronibus tanquam in unum corpus coadunari potuit. Vbi cum de eligendo principe Primates consultarent, (nam id iuris Romani imperii apex, videlicet non per sanguinis propaginem descendere, sed per Principum electionem reges creare sibi tanquam ex singulari ven-*

*dicat praerogatiua) tandem ab omnibus Fridericus, Suenorum Dux, Friderici Ducis filius, petitur, cuiusmodi et saeuore in regem sublimatur.*

3) in den Gedanck. von dem lebh. Gebrauch des bürgerl. und Staatsrechts. p. 114. sqq.

4) Hinc apud Goldastum in Constitution. Imperial. Tom. III pag. 355. Camerarius magnus Imperatoris nominatur.



cum a Rudolpho I. Imp. eligendi iuris — quod cum archiofficiis ab eo tempore iunctum mansit — confirmationem peterent, *illud ius RATIONE DVCATVS BAVARIAE sibi competere EX ANTIQVO* asseruerunt ac ipsi munus hoc postea mansit, nec aliud tempus, quo acquirerit, doceri potest; archimarschallatum vero Saxoniae duci manere iussit. 5) Archicancellariatus vero ducatum iuribus gaudentes pristinum seruauerunt statum. Quae archiofficiarum ratio ab anno inde 1184, quo Moguntinis in comitijs ea exercebant 6) electores, 7) eadem vna cum iure eligendi Imperatorem permansit. Sed etiam hic quaestio se offert, an, et quare ceteri principes Imperii aequali denuo iure gaudentes cum archiprincipibus, hos sibi in rege eligendo anteferri passi sint? Vana eorum est opinio, qui Amando, 8) ceteros status expresse regis ele-

5) Ohlenschl. I. c. §. 28. p. 95. an. 1131. Saxoniae principes archimarschallatum iam tenuisse, recte sibi persuasit docetque doctissime Vir Illustr. Iac. Henr. Bornius in diss. cit. §. 8. p. 22.

6) quod ex Arnoldi Lubecensis Chron. Slav. Lib. I. Cap. IX. p. 661. colligunt viri docti; En ipsa eius verba: *Fridericus Imperator edixit curiam famosissimam et celeberrimam apud Moguntiam — ut filium suum Henricum regem militem declararet — Venit igitur illuc omnis dignitas potestatis et principatus — Officium DAPIFERI seu PINCERNAE, CARRARII seu MARSCHALCI, non nisi REGES vel DVCES aut MARCHIONES administrabant.*

7) hoc quidem nomine archiprincipes prima vice in diplomate de an. 1156. ab ipso Friderico I. verbis: *— Dux Austriae — ad laevam dextram Imperii, post ELECTORES*

PRINCIPIES obtineat primum locum insigniuntur, quo se ab iis electum haud obscure profretur. Post Senckenbergium in den Gedanck, vom lebhaft. Gebr. des deutsch. Staatsrechts p. 123. — 131. diploma hocce iidem ex autographo edidit: V. A. Francisc. Ferdin. Schroetterus in der ersten Abhandlung aus dem Oesterreich. Staatsrechte, Beyl. 18. et cum amplissimo commentario; in dem Versuch einer Oesterreich. Staatsgeschichte, III. Abschn. Interregni tempore demum nomen Electorum primum reperiri sibi persuasit Kemmerich. in Introd. ad Ius Publ. p. 322.

8) de primis actis a Frider. I. in imperio peractis ap. Gewold, de feptemuiratu. Cap. VI. p. 78. no. 69. — principes — dixerant PER SVOS INTERNVNTIOS officiatos regni — nullum aptiorem esse regno regendo, quam Fridericum.



tionem Archiprincipibus mandasse, narranti fidem habent, quem *voſetas* prope manifestum fuometque iudicio sese prodentem post Ioannem Limnaeum, <sup>9)</sup> merito accusat de Leibniz, <sup>10)</sup> quum ceteroquin eius rei alibi nec voia nec vestigium reperiatur. Transtulit vero Fridericus, si rem penitus inspicias, solum quaedam archiofficia, nouique nihil fecit, proinde nihil sibi detrahi cum ceteri viderent, tacito, quae fiebant, consensu comprobauere. <sup>11)</sup> Hucusque vero Imperatores iura territorialia per omnium prouincias liberrimo arbitrio exercuerant, iisdem tamen tantopere abusi erant, vt principes Imperii de iis limitandis merito caperent consilia. Regnante enim Friderico I. maiestatis iuribus iusto plus superbiante ob nimiam eius pariter ac antecessorum in concedendo vectigalium iure liberalitatem cautum fuit, ne Imperator vmquam, sine principum consensu, nec suo nomine, noua exerceret telonia, nec vlli statuum in ceterorum praeiudicium concederet, <sup>12)</sup> quam legem et Fridericus II. sibi scriptam confiretur. <sup>13)</sup> Quo itidem tempore ius bellum commune

9) In Iur. Publ. Imp. R. G. Tom. I. lib. III. cap. 1. §. 15.

10) in praef. ad Cod. Diplom.

11) Chronicon Carionis Lib. IV. p. 909.

12) Quod Friderici I. Imperatoris diploma de anno 1172. probat apud a Sande in tract. II. Commentationum feudal. p. 96. quo verba ita fecit Imperator: — *Cum — Romanorum Imperator Henricus III. — telonium Noniomagenſe — SINE CONSTANTIA ET CONSENSU PRINCIPVM IMPERII — in frudum concessisset — nos tandem ipsum, SECUNDVM SENTENTIAM A PRINCIPIBVS IMPERII PROLATAM dicto Teloneo — priuauimus et*

*dictam concessionem, quae SINE CONSTANTIA ET CONSENSU PRINCIPVM IMPERII facta fuit, cessauimus; sicque dictum telonium A PRINCIPIBVS IMPERII PER SENTENTIAM EORVMDEM Imperio adiudicatum, ad vsus nostros et successorum nostrorum in perpetuum reſeruauius.*

13) in diplomate apud Wilhelm. Heda de Episc. Ultraiectin. pag. 195. verbis: *Cum apud Francerword in curia, solemniter indicta, iudicio praesideremus, per Principes, qui ibidem aderant, talis data fuit sententia, et ab eisdem adprobata, quod nullam auctoritatem sine Warandian telonei in damnum vel praesudicium alicuius nostris*



mune <sup>14)</sup> inferendi, foederumue <sup>15)</sup> Imperii nomine pangendorum statuum consensui adstrictum obseruare licet; aequale tum quidem omnium statuum, haecce negotia, quippe comitialia, temperandi ius; temporis vero successu soli electorum consensui vindicatum est.

### §. VIII.

*Quinam sub Henrico VI. et Ottone IV. Archiprincipum status, quaeuereorum iura in regimine Imperii?*

Henricus VI. Friderico patre viuento regni successor electus, anno 1169, et coronatus fuit, ideoque, quo hodie viuemur sensu, Regis Romanorum axioma <sup>1)</sup> meretur; <sup>2)</sup> quem ab

*stra praestare serenitas potuisset. Et in epistola executoria pag 197. — Nobis apud Francenvorde in curia solemniter iudicatu iudicio praesidentibus data talis est sententia, et a Principibus adprobata, quod nullam auctoritatem telonei suae Warandiam in damnum vel praedudicium alicuius praestare possimus.*

14) Bellorum Imp. comitali statuum consensu decretorum documenta omnia edidit Pfeffingerus Lib. I. Tit. II. §. 10 lit. d. p. 171. no. 15.

15) Quo scilicet modo Fridericus I. foedus cum Emanuele, Graecorum rege, icturus primatum suorum consilio vsus fuerit, exponit Otto Frisingensis de gest. Frider. I. Lib. II. cap. 11.

1) Fallunt tamen fallunturque, qui vlli Imperatoris viuentis successor electo ante Henricum VI. regis Romanorum nomen impositum esse, negant, nostrumque Henricum, regem Romanorum primum venditare

cupiunt; qui, velim, obseruent, quae de Henrico, Conradi III. Imp. filio, eiusque in regem Romanorum elevatione, viuento patre facta, memoriae prodidit Otto Frisingensis de gest. Frid. I. Lib. I. c. 55. deque eiusdem obitu cap. 62.

2) cf. Chr. God Hofmannus de rege Romanorum, viuen e imperatore, electo, §. I. Regis Romanorum titulus, quo Imperatores ipsi vtebantur, sub Henrico II. quidem cancellariae scripta pederentim ingredi coepit, antea vero Imperatores nostros hoc titulo haud minus condecoratos esse, ex diplomate de ao. 991. apud Schannarum in *historia Episcopatus Wormatiensis in Codice probationum* no. 34. satis intelligitur, vbi Otto III. Imperator in ipso diplomate introitu: *Romanorum Rex* appellatur; Quae quidem verba Francisc. Dom. Haebelinus in libello: *kleine Schriften* dicto Tom. I. p. 68. scribarum incuria irrepressisse credit, iisdem vero

D

cur



ab archiprincipibus electum fuisse, non quidem disertis exprimitur verbis, 3) moribus tamen scribendique eius aevi historicorum generi haud incongruum videtur, principum solum nomine, si amplius nihil addiderint, archiprincipes hoc casu contineri, vel si omnium principum fiat mentio, archiprincipum electionis praeconsultationem ceterorumque subsecutum applausum, seu, quam vocant, collaudationem indicari. Maius vero periculum archiprincipibus imminere vix potuit, maioremque proinde, ut parata tuerentur, curam impendere vix oportuit electores, quam Henrici VI. tempore, purpuram regiam familiae suae iure hereditario 4) vindicandi studiosissimi. Ceterorum enim principum conamina de electorali dignitate penitus extinguenda omni ausu promovit, eoque rem perduxit, ut quinquaginta duo eorum una cum Romano Pontifice, confectis desuper tabulis publicis, consentirent. 5) Quanta autem fuerit in libertate Germaniae tuenda Archiprincipum ecclesiasticorum, domusque in pri-

cur fidem non habeat, vix me perspicere fateor, in primis cum eodem titulo Ottonis III. successorem Henricum II. usum esse ibid. p. 73. ipse doceat.

3) Chronographus Reicherspergensis ad annum 1169. *Imperator celebravit curiam generalem et valde celebrem apud Babenberg — Vbi ex consensu et collaudatione omnium principum, qui aderant, filium suum in regem electum et coronatum post se regnare firmavit.* Conradus Vispergensis Chronica. p. 303. *Henricus a patre rex designatus fuerat, et de consensu principum coronam Aquisgranam acceperat.*

4) Conf. Godofr. Dan. Hofmanni Iudicia Eruditorum et Opuscula Co-

mit. Kayserlingii, Io. Dan. Ritteri, Chr. Ludov. Scheidii et Io. Fr. Iochimi de Henrici VI. Imp. conatu regnum et Imperium Rom. Germ. genti suae hereditarium reddendi. Tubingae. 1757. 4.

5) Magnum Chronic. Belgic. p. 224. cf. Gervasium Tilberiens. Decif. II. Otior. Imperial. c. 19. p. 943. *Henricus — ad suum refundens commodum, quod alii impertitum est, benesicium, impetravit a subditis, UT CESSANTE PRISTINA PALATINORVM ELECTIONE, Imperium in ipsius posteritatem, distincta proximorum successione, transfret, et sic in ipso terminus esset electionis, principumque successivae dignitatis.*



primis Saxoniae vis, quantumque in reprimendis hisce Imperatoris ausibus studium, clarissimis monumentis perhibetur. 6) Tantum enim abest, ut filio Friderico, uti moliebatur, Germaniae coronam, hereditatis quasi partem, tradere potuerit, ut, extinctis illis tabulis, eius electionem potius libero principum arbitrio committere cogeretur. 7) Quid? quod, Henrico mortuo, imperium impuberi filio haud concredebatur, sed Philippus atque Otto IV. eligebantur. 8) In relatione nihilominus, qua Innocentius III. Pontifex de Ottonis IV. electione certior factus est, praeter quosdam archiprincipes, et abbates episcoposque, qui, se Ottonem elegisse, profiterentur, reperimus; e quibus vero archiepiscopus Colonienfis, nomine quatuor absentium electorum, Ottonem exclusiue elegisse, ceterique candidatum designandi ius in praeelectione solum exercuisse videntur Ohlenschlagero, 9) cui

D 2

ele-

6) *Chronic. Halberstad. in vita Gardolphi Episcopi p. 738. Dominus Conradus Maguntinae sedis Archiepiscopus CVM PRINCIPIBUS SAXONIAE conspirauerat aduersus Imperatorem; quod ipse petiuerat ab iisdem, ut successio Imperii ad heredes transferret. Gohelinus Persona aetate VI. Cosmodromii c. 61. apud Meibom. Tom. I. p. 275. Henricus Imperator concordauit cum principibus regni, quod liberi sui post eum hereditario iure regnum obtinerent; sed contradicium est A. PRINCIPIBUS SAXONIAE.*

7) Innocentius in deliberatione super facto imperii de tribus Electis p. 697. Pater Friderici intelligens, se desperam processisse, iuramentum relaxauit principibus et litteras super ipsius electione remisit; qui postmodum

*puerum ipsum, patre absente, sponte ac concorditer elegerunt.*

8) Ioannes Rufca, Mediolanensis Potestas, in litteris ad Innocentium n. 6. *Ex pagina litterarum Adolphi, Colonienfis ecclesiae Archiepiscopi — indubitanter cognouimus, quod ipsi principes, AD QVOS ELECTIO PERTINET, saepius tractantes de Rege subrogando et substituendo, Ottonem — SICVT AD EOS DE IVRE SPECTAT ELECTIO — clementer elegerunt.* Innocentius in litteris ad Coloniensem Archiepiscopum n. 55. p. 712. *Non elegimus nos personam Ottonis, sed electo ab eorum parte maiori, QVI VOCEM HABERE IN IMPERATORIS ELECTIONE NOCVMNTVR — fauorem praestitimus et praestamus.*

9) In der neuen Erlaeut. der güldn. B. §. 29. not. 6. pag. 99. seqq. testem fecu



elegantissimae coniecturae et verba textus <sup>10)</sup> ipsa respondent, modo discrimen inter eligere, et consentire electioni, curatius obserues. Nihilo tamen minus, dirutis magnis ducatibus, circuli archiprincipum ita turbati erant, vt eos inter ceterosque Germaniae proceres non possent non oriri acerrimae lites, quarum effectus vero, in Philippi Ottonisque IV. electione potissimum conspicui, quae tum archiprincipum fuerint iura, egregie illustrent. Philippo Sueuo enim, quamvis reliquorum plurimorumque principum fauore <sup>11)</sup> throno dignus iudicaretur, Otto IV. tamen, quippe ab iis maximam partem saltem electus, qui iure eligendi pollebant, praeferebatur; <sup>12)</sup> donec et Philippus secunda vice legitime a prin-

secutus Rogerium de Hoveden in Richardo apud Savile in script. rer. Angl. pag. 776 scribentem: *Est autem sciendum, quod in electione Romanorum Imperatoris taliter procedendum est. Defuncto Imperatore, archiepiscopi, episcopi, abbates, duces, comites, et OMNES ceteri MAGNATES ALEMANNIAE, in vnum conuenientes DEBENT DVODECIM VIROS ELIGERE communiter et EOS PRAESENTARE ARCHIEPISCOPO COLONIENSI et ARCHIEPISCOPO MOGVNTINO et DVCI DE SAXONIA et COMITI PALATINO DE RHENO, et quemcumque illi quatuor elegerint de praedictis duodecim, electus erit rex Alemannorum.*

10) In Registro Innocentii VIII. super negotio Rom. Imp. vbi inter epistolas Innoc. III. ex editione Stephani Baluzii T. I. pag. 689. litterae cuiusvis fere procerum Germ. ordinis reperiuntur, ita dicentium: — *Ottone* — *ad romani regni fasti-*

*gium iuste, ac rationabiliter ELEGIMVS et sicut debuimus, ipsius ELECTIONI CONSENSIMVS, ipsumque in Augustorum sede — apud Aquisgranum — — locauimus — sanctitatem (pergunt) Vestram rogamus, — Principes ac Barones a tam rationabili electione discordantes ecclesiastica censura ad concordiam renocetis.* Cf. ibidem Litteras Coloniensis Archiepiscopi: — *Paternitatem — Vestram — rogamus, — rationabile factum nostrum aliorumque PRINCIPVM, QUI DE IVRE ELIGERE DEBENT — benigne recipiatis.*

11) Quos exhibet epistola princip. Germ. ad Innoc. III. in Registro eius. Ep. 61.

12) vide loca sub 8) citata et Innocentium l. c. n. 92. p. 730. *Licet maior pars principum in electione (Philippi) ab initio conuenisset, plures tamen ex iis, AD QVOS IMPERATORIS SPECTAT ELECTIO, contulerunt postmodum in — illustrem Regem Ottone*



a principibus esset electus, quo demum facto idoneus, qui Germaniae praeesset, habebatur. <sup>13)</sup> Quamvis enim, Philippo mortuo, Otto Francofurti denuo electus videatur, prioris tamen electionis consensu principum vnanimi confirmandae gratia solum id factum esse, praeter Conradum de Fabaria, <sup>14)</sup> testatur Albertus Stadenfis. <sup>15)</sup> Quo ipso apparet, archiprincipum vota prae ceteris in eligendo imperatore valuisse, ceterosque idem illorum ius eo ipso agnouisse, quod Ottonem IV. ab illis electum regem legitimum habuerint, Philippumque, quamvis a plurimis, iure eligendi vero non gaudentibus principibus electum, donec a principibus primariis agnitus esset, repudiauerint. Ipsa ceterum, vtri sceptrum Germaniae iure competierit? quaestio, cum instituti nostri rationi haud respondeat, merito eam praetermittimus, satius ducentes, quod ex iis, quae protulimus, etiam turbulenti istis temporibus archiprincipum iura salua intactaque mansisse, satis appareat.

### §. IX.

*Quae iis fuerint iura sub Friderico II. et Conrado IV?*

Effectus verum enim vero testabatur de causa nonnullis forsan adhuc dubia. Post Ottonis IV. enim tempora nec omnes Imperii Status praedeterminationibus archiprincipum

13) Godofr. Colon. ad ann. 1204. p. 375. (Philippus) Rex, consilio cum suis habito, ut principes suam liberam electionem sedis (secundum antiquitatis institutum non perdant, regium nomen et coronam deponit, et, ut concorditer ab omnibus eligatur, precat. Quod et factum est. etc.

14) in libro de casibus monasterii S. Galli c. VIII. p. 77. Otto, iudice

Deo, electus, QUICQVID IN ELECTIONE PRIVS HABVIT INFIRMVM, coadunatis in electione principibus, omnique tergiversatione postposita, ab omnibus eleuatur in regem.

15) Ad ann. 1208. p. 299, et 300. Rex Otto accedentibus sibi primis Saxoniis, deinde principibus — subito est in imperio confirmatus.



pum de eligendo rege interfuisse, nec amplius cuilibet ex populo ad electionis actum aditum patuisse, relatum legimus. Depulso enim a sua dignitate, defunctoque Ottone IV. Fridericus iam repetita vice antea, licet ab initio sine effectu, Rex Romanorum electus, anno 1218. solus imperatoriam obtinuit dignitatem. Eo quidem regnante archiprincipes iuribus suis exercendis non defuisse, clara prostant testimonia. Henricus VII. enim, quem pater Fridericus successorem optabat, non nisi rogatu patris ab archiprincipibus Rex Romanorum eligebatur, <sup>1)</sup> quem vero, ante diem patrios inquirentem in annos, pater dignitate 1235. priuandum curauit: quae causa est, cur in Imperatorum serie produci nequeat, sed alius Henricus, Luxemburgicus, Albertum I. sequutus, suae dignitatis septimus nuncupetur. Negotia ceterum grauiora imperii archiprincipum consilio praeuioque consensu expedita esse, ipse Henricus VII. vices patris in Germania sustinens, priuilegiumque Leopoldo, Austriae duci, largiens, restatur in diplomate de anno 1228. <sup>2)</sup> verbis in eius fronte ita factis: „*principum, quorum iuris quemque Romanorum regem est eligere, beneplacito, consilio et fauore etc.*“ Henrici purpuram excepit Conradus IV. quem Viennae ab undecim principibus anno 1237. designatum ostendit Decretum electionis, <sup>3)</sup> quorum factum postmodum ceteri principes Spirae agnouerunt,

1) Godofr. Colonienf. ad annum 1220. „*Fridericus rex Franckinfort curiam habuit, ubi commendato filio suo Henrico principibus, et ab eis licentia accepta Romam proficiscitur.*“ Cf. litteras Friderici II. Honorio III. Papae missas apud Rainald. in annal. ecclesiast. ad annum 1220. num. 13. et 14. in quibus, se infcio, filium Regis Romanorum dignitatem obtinuisse, simulat.

2) apud Luenigium' im Reichsarchiv Part. spec. Contin. I. Fortf. 1. Abschn. IV. p. 6. atque in Schroetteri Oesterr. Staatsrecht. Abhandl. 1. Beyl. 19.

3) apud Ohlenschl. in der neuen Erl. der güldn. B. in mantissa documentor. num. 18. et 19.



runt, quam primam electionem Viennae, ab archiprincipibus potissimum, consentientibus modo ceteris praesentibus, peractam esse, <sup>4)</sup> reliquosque principes Spiraе ratam tantum habuisse, palam est. <sup>5)</sup> Quemadmodum vero sub Lothario II. minorum principum quidam nomine omnium fortassis ablegati archiprincipibus candidatos praesentauerunt, id quod praetaxationem s. praetractationem, i. e. praeuiam deliberationem archiprincipum cum ceteris principibus nuncupant eius seculi scriptores, e quibus vnum appellarent regem: ita huncce morem ad Conradum vsque IV. deprehendere licet, <sup>6)</sup> immo electionis praedeliberatio sub sede regia apud

4) Fragmentum apud Vrsifium p. 91. Anno domini MCCXXXVII. Imperator profectus est in Austriam — (et) venit ad ciuitatem Viennae, — ubi Conradum filium suum, de uxore transmarina genitum eligi fecit in regem: quem elegerunt Archiepiscopus Moguntinus et Treuirensis et rex Bohemiae et dux Banariae, qui et Palatinus Comes Rheni: CONSENTIENTIBUS CETERIS, qui aderant, tamen PAUCIS.

5) Godofr. Colonienf. ad annum 1237. p. 301. Fridericus Imperator ab Austria adscendit vsque Ratisbonam, PRINCIPIBUS APUD SPIREAM AD COLLOQUIUM EVOCATIS, ubi cum quidam principes conuenissent, ab eo ad conuiuium inuitantur. Filium etiam suum CONRADUM adhuc puerum PRIUS IN AVSTRIA REGEM TEUTONIAE DESIGNATVM, denuo AB IPSIS OBTINET APPROBARI.

6) Albertus Stadenfis in Chron. ad annum 1240. Papa Gregorius insolentias Imperatoris contra ecclesiam

metuens, Principes super electione alterius sollicitauit, sed nihil profecit, quia quidam Principum ei rescripserunt, non esse sui iuris, Imperatorem substituere, sed tantum electum a Principibus coronare. Electio enim ad istos dignoscitur pertinere. Ex praetaxatione principum et consensu eligunt Imperatorem Treuirensis, Moguntinus et Colonienfis — Palatinus, quia Dapifer est, dux Saxoniae, quia Marschalcus, et Marggrauis de Brandenburg, quia Camerarius, rex Bohemiae, qui Piquerna est, non eligi, quia non est Teutonicus. Sunt quidem, qui Burch. Gotth. Struuii dubiis in Synt. Iur. Publ. diff. 16. §. 4. mouentur, vt verba Alberti adulterina credant, me vero iisdem non moueri fateor. Recte nimirum archiepiscopi Moguntinus, Treuirensis atque Colonienfis asserunt: ipsis, solis scilicet, noui Imperatoris electionem non competere; quis enim contrarium tuebitur? dicunt porro: munus sibi incumbere coronandi Imperatorem, a principibus (electo-



apud Rense<sup>7)</sup> tempore interregni instituta, exinde ortum traxisse videtur. Siue vero archiprincipes sub numero istorum principum saepius fuerint, nec ne, non disputo, hoc vero certo certius affirmo, archiprincipum votis inter eos omnem electionis vim tributam esse, qui proinde excluso mox horum designandi iure postea soli imperatorem eligebant.

### §. X.

*An, et quatenus haecce archiprincipum iura accreuerint tempore magni, ut vocant, interregni?*

Inter varios turbarum, quibus Germania seculo XIII. concussa est, quibusque aliam fere faciem induit, effectus, ille sane eminent, quo archiprincipes iura sua circa Imperatoris electionem in tuto collocarunt. Namque illo tempore, quo singuli imperii proceres de ditionibus praerogatiuisque augendis cogitabant, et, exigua vel nulla Imperatoris auctoritate, plerique destinata ad exitum perducebant, electores id ipsum eo felicius egere, quo potentiores erant, quo clarius eis antiquioris temporis obseruantia suffragabatur. Iam cum exinde, quod omnes proceres aliquoties electionis actui

(electoribus) electum; ad quos, pergit abbas, electio, vim nimirum decisivam habens, pertinet. Nihil aut video, aut verba haec non modo clara, verum et factis non aduersa sunt, quae huc vsque attulimus. Testimonium denuncio praeterea Francisco Dominico Haerberlino, qui in Auszug aus der allgemeinen Welthistorie II. Th. p. 302 se codicem MSCrum membranaceum praestantissimum omnique suspitione maiorem Alberti Stadenfis legif-

se, verbaque l. c. exacte eadem, quae subiunximus, inuenisse asserit. Plura de codice hoc disserit Idem in praef. Analector. med. aevi.

7) Quo consilio sede regia apud Rense eiusque opportunitate vsi sunt electores exponit Io. Dav. Koelerus in *diff. de inchoata sede regali ad Rense*. §. 14. sqq. Cf. Io. Dan. Ohlen-schlageri *Staatsgesch. d. Röm. Kaiserth. in der erst. Hälfte des XIV. Jahrh.*, §. 9. p. 24. sq.



actui non interfuerint, eos et postea iis interesse non potuisse, haud recte concluderis, ipsa iuris exclusiui ratio docet, non antea electores arcere reliquos ab electione potuisse, quam, ipsis solis eligendi ius competere, publice declaratum fuerit, ceteris, quorum intererat, tacito consensu factum approbantibus. Id ipsum vero huius seculi aetas electoribus maximo Germaniae commodo concessit. Quid? quod hac etiam periodo clariora indicia reperiuntur, Papae, negotio electionis inepte sese miscenti, electores mascule contradixisse, ac defendisse, nemini eligendi Imperatorem ius, quam sibi solis esse. Hinc imperatores a maiori eorum parte, legitimi, pauciorum placito electi, illegitimi habebantur. Hoc Henrici Rasponis, Alphonisque Castellae et Legionis regis; illud Wilhelmi, Hollandiae comitis, Richardique Cornubiensis, testatur exemplum. Henricus enim ab ecclesiasticis, duobus in primis, <sup>1)</sup> electoribus, Pontificis auctoritatem sequentibus, Hochhemii anno 1246. electus est, nec ob hanc tantum causam, sed etiam, quod imperium eo tempore non vacabat, legitimis regibus accenseri nequit. Maiore auctoritate pollebat Wilhelmus, Hollandiae comes, quem, Henrico anno 1247. mortuo, a Moguntino, Coloniensi, Treuirensi, archiepiscopis, vt et a rege Bohemiae, nonnullisque alijs minoribus principibus electum refert Chronici magni Belgici auctor p. 245. Is tamen, a plerisque electus, post Conradi IV. obitum, vti legitimus rex, imperio praesuit. Eo a Frisis interfecto, in ancipiti Richardi Alphonisque electione yterque imperandi ius ad se trahere voluit, ob eam maxime causam, quod a plerisque electoribus fuerit electus; in quo

1) Albertus Stadenfis ad annum 1246. *Henricus Landgravius Thuringiae iuxta Herbipolim a Moguntino et Coloniense, et quibusdam principibus in regem eligitur.*



quo tamen potior fuit causa Richardi, <sup>2)</sup> ob id ipsum etiam ab omnibus fere Germaniae proceribus agniti. In quibus singulis electionibus interfuere quidem, praeter ipsos electores, principes alii, <sup>3)</sup> at consultatiui tantum voti, quod non  
nu-

2) Gebauer im Leben und Thaten K. Richards. Lib. I. §. 114. 116. 127. sq. qui Richardum a Moguntino, Colonienfi, Archiepiscopi, Comite Palatino Ludouico, et rege Bohemiae, in loco Franckeserde dicto, ante Alphonsum, electum esse docet. Cf. Bullam Vrbanus IV. Pontif. Richardo missam ap. Rainald. in Annal. Ecclesiast. Tom. XIV. quae Richardum a Colonienfi, Moguntino, Palatino et Bohemo, Alphonsum a Treuirensi, Saxone et Brandenburgico electore electum exhibet. Addit Chron. August. ad annum 1257. Bauarum; nec quisquam mirabitur, a scriptoribus saepius plurimum vnius gentis votorum electoralium fieri mentionem, modo obseruauerit, ante A. B., primogenitura nondum introducta, prouincias, familiarum instar, erectas citas fuisse, coheredumque quemlibet, pro parte sibi deuoluta, et vorum electorale sibi competere, statuisse. Hinc est, quod in Richardi electione Ludouici, Comitum Palatini Rheni, fratrisque Henrici, Ducis Bauariae, in Chron. August. l. c. nec minus Ioannis Otto- nisque, Marchionum Brandenburgicorum in Chron. Slav. ad ann. 1257. apud Lindenbrog. in script. rer. septentrional. p. 260. nomina occurrant, licet e patribus eorum quilibet vnicum electorale votum habuerant.

3) Obiicit proinde Io. Guilielm. Hofmannus in iure publ. interregni

magni §. 15. p. 30. septem electores hanc electionem, nondum exclusis ceteris principibus, perfecisse, sed, si dicendum, quod res est, idoneis argumentis haud suffultus; verba enim scriptorum minus accuratorem nimis vrget, nec satis distinguere videtur inter personas eligendi iure pollentes, et inter eos, qui electionis actum praesentia sua celebriorem tantum reddebant; quae, si ita cautijs distinguere neglexeris, aliorum euidentissima iussum pugnantur testimonia; immo Vrbanus IV. Pontif. Rom. ad cuius litteras ipse pag. 31. not. (d) prouocat, sibi in eadem epistola, Richardo missa, repugnabit; asserit nimirum, praelatos nonnullos electionis actui adfuisse, immo eos inter et archiprincipes deliberationem esse institutam, quod non impedit, quo minus electio ipsa postmodum ab Archiepiscopo Colonienfi, Moguntini quoque vices gerente, vt et Comite Palatino, solis, peracta sit, quod verbis sequentibus, ab eodem Hofmanno vero partim omissis, paulo post declarat Pontifex Vrbanus; — *et tandem*, ait, (Archiepiscopo) *Colonienfis pro se, ac (Archiepiscopo) Moguntino, cuius vices gerebat, et Comite (Palatino) praesente ac consentiente — regem Romanorum elegit, et mox electionem huiusmodi magnatum et aliorum astantium copiose multitudini publicauit. Cui electioni — per — regem Bohemiae*



numeraretur, <sup>4)</sup> ferendi, maiorisque solemnitatis ei ceremoniae addendae causa.

### §. XI.

*Rudolphus I. ius eligendi electoribus per legem scriptam primum munivit, quod seculo XIV. ratum habuit Imperium et A. B. confirmavit.*

Ex iis, quae de iuris eligendi praerogativa, electorum dignitati quaesita, haecenus exposuimus, patet, ius eligendi ipsis denegatum haud fuisse, idque ipsum etiam post Richardi Rom. Regis mortem apparuit. Nam non modo Gregorius X. Pontif. Max. publice declaravit, ius illud electoribus proprium esse, <sup>1)</sup> sed et electores ipsi, inuito licet Bohemiae rege, Ottocaro, Rudolphum I. Habsburgicum quem vocant, exclusis reliquis, Imperatorem crearunt, nixi *consuetudine antiqua et approbata*, vti Pontifex recte monet. Aperte insuper vrbes Rhenanae et Wetterauicae in foedere Moguntiae, anno 1256. viceque repetita anno 1273. ibidem icto, se nullum imperatorem, nisi ab electoribus concorditer electum, esse agnaturas sponondere. <sup>2)</sup> At forte quaeret aliquis, quinam fuerint illi electores, quantus eorum numerus? Senos ante seculi XIII. finem fuisse, multi clarique scriptores contendunt excluso Bohemiae duce; quorum opinioni accedere dubito.

E 2

Bo-

*miae — consensu praestito, demum TV consensu. Solemnium tantum causa, et, ne nouum quid affectare viderentur, electores principes hos minores in consilium vocasse, dubio caret, cui et adstipulatur Generosiss. de Ohlenschlager in der Erlaut. der gülden Bulle. §. 36. p. 130.*

<sup>4)</sup> Senckenb. I. c. §. 85. p. 206.

<sup>1)</sup> In Vristis. script rer. germ Tom. II. p. 93. ibique fragmentum: —

(Gregorius X. Papa) inuito consilio praecipit Principibus Alemanniae, ELECTORIBVS DVNTAXAT, vt de Romanorum rege, sicut sua AB ANTIQVA ET APPROBATA CONSVTVDINE intererat, prouiderent cet.

<sup>2)</sup> Vtriusque foederis tabulas inuenies apud Ohlenschlagerum in d. Erl. d.g. Bulle. im Urkund, Buch. p. 56, no. 18. et 19,



Bohemiae quidem dux Boleslaus, iam ante quaesitam archi-  
 principibus solis in eligendo praerogatiuam, Henrici II. ele-  
 ctioni, vt tradit Dithmarus Merseburgensis lib. V. et Adel-  
 boldus in vita S. Henrici p. 436. Vladislaus autem, et ipse  
 Bohemorum princeps, electioni Conradi II., teste Wippone,  
 interfuere. De partibus sequentium ducum in electione  
 Conradi III. et Friderici I. testimonium Dubrauii, vt recen-  
 tioris, Amandique, vt suppositiui scriptoris, missum facie-  
 mus. Premislaum autem Ottocarum Fridericum II. elegisse  
 documento est diploma ipsius Caesaris <sup>3)</sup> anno 1212. Otto-  
 caro concessum, quo regia dignitas eidem confirmatur, vbi  
 inter alia Caesar: *Nos attendentes praecleara deuotionis obsequia,  
 quae uniuersa Bohemorum gens ab antiquo tempore Romano exhibuit  
 Imperio, tam fideliter, quam deuote, eo quod illustris Rex eo-  
 rum Ottocarus* A PRIMO INTER ALIOS PRINCIPES SPECIALI-  
 TER PRAE CETERIS IN IMPERATOREM NOS ELEGIT, et  
 nostrae electionis perseuerantiae diligenter et utiliter asiterit, caet.  
 V. R. Adamus Voigt a S. Germano in der Beschreibung der  
 Boehmischen Münzen (Pragae 1771. 4.) P. I. sibi persuasit,  
 hoc diploma ad iteratam anno 1218. Ottone IV. defuncto Fri-  
 derici II. electionem pertinere, quod chronologicae rationes  
 non admittunt. Namque iterata illa electio sexto post di-  
 ploma concessum anno suscepta est. Nec illa solemnis ele-  
 ctio sed confirmatio adeptae dudum dignitatis fuit, vti recte  
 appellat Albertus Stadenfis. <sup>4)</sup> Itaque de agnitione atque  
 electione regis anno 1212. in conuentu Moguntino loquitur  
 Caesar. Nam si de tempore designationis Friderici II. Henri-  
 co VI. adhuc supersistere, peractae, interpretari velis, Ottoca-  
 rus tum ducatu nondum potiebatur. Ottocari filius, Wen-  
 ceslaus

<sup>3)</sup> apud Goldast. de regno Bohem.  
 in Append. p. 27. et in Glassfey pra-

gmatischer Geschichte der Crone  
 Boehmen p. 110.

<sup>4)</sup> ad annum 1218.



ceslaus monoculus, Conradum IV. elegit, quod testatur fragmentum apud Vrftisium; <sup>5)</sup> nec dubiae sunt filii huius Otrocari II. in electione sequentium regum Romanorum partes, vti supra ostendimus. At Germanis priscum in Slaus odium Bohemicum in electione principis orbis terrarum maximi votum ingratum suspectumque reddebat, nec priuatis tantum scriptoribus, sed ipsis etiam principibus. De priuatis scriptoribus testes sunt Albertus Stadenfis, <sup>6)</sup> Auctor de beneficiis, <sup>7)</sup> speculumque Saxon. <sup>8)</sup> qui, cum Bohemiae regi archipincernatus praerogatiuam, quam certe inde a tempore Friderici I. habuit, denegare non possent, ipsum electionis ius archiofficio coniunctum ei propter Slaucam originem abrogare conati sunt. Principes eadem contra Bohemum inuidia flagrasse, Bauariae ducis exemplum probat. <sup>9)</sup> Quae cum ita essent, Rudolphus I. Caesar illis dissidiis finem imponere voluit, dato diplomate, <sup>10)</sup> quo Bohemiae regis in eligendo ius agno-

E 3 sce

5) ad annum 1237. quem (Conradum IV.) elegerant Moguntinus, et Treutrensis, et rex Bohemiae, et dux Bavariae, qui et Palatinus Rheni consentientibus ceteris, qui aderant, tamen paucis.

6) ad ann. 1240. loco supra sub §. IX. not. 6) laudato.

7) Lib. I. §. 12. Rex, quem eligunt Teutonici, cum Romam vadit ordinari, secum ibunt de iure sex principes, qui primi sunt in eius electione, cor.

8) Lib. III. Art. 57.

9) Ipse enim Rudolphus ao. 1275. testatus est, duces Bavariae, Ludouicum et Henricum, publice contra Bohemum, quod suffragium in electi-

one Richardi et in ipsius Rudolphi electione, excluso a reliquis electoribus Bohemiae legato, tulerint, asseruisse; quod e Gewoldo de Septemuir. obseruat Mascouius in *diff. de Orig. offic. aulic.* §. 28.

10) Lib. III. Cap. VIII. §. 83. ibi: „Inquisitionis igitur circumspectae praehabita indagine scrutinioque solerti scire desiderauimus: quid, quantum iuris in Romano competat imperio et in electione Romanorum regis, futuri Imperatoris, inelyto regi Boemiae — et heredibus ipsius?“, — Rudolphum I. hac disquisitione ante Friderici I. tempora archipincernatum Bohemiae inuenire non potuisse, Gewoldus de septemuiratu Cap. IX. p. 177. fateri cogitur.



sceretur firmareturque. Lites <sup>11)</sup> porro inter Ludouicum Seuerum, Palatinatus, Bauariaeque superioris ducem et Henricum inferioris Bauariae ducem, in comitiis Augustanis anno 1275. idem Rudolphus ita diremit, vt quidem vterque Imperatorem eligeret, sed *vocibus eorundem fratrum Ducum Bauariae Comitum Palatinorum Rheni, ratione ductus pro vna in septem principum*, ius in electione regis Romani habentium, numero computatis. <sup>12)</sup> Auctum per Bohemum electorum numerum septenarium fuisse, praeter ipsam rem et Rudolphi diploma docet. Ceterum determinatio numeri ipsa aliorum principum ad electionem concursum prohibuit, eaque constitutio prima lex Imperii scripta de iure eligendi Imperatorem exclusiuo merito habenda, qua et reliqui ordines palam illud agnouerunt. Pretium tamen operae minime fecerimus, actus huius iuris subsécutos si sigillatim subiungere vellemus, cum his quidem ius non scriptum probari possit, eo vero, lege scripta lata, non amplius egeamus, praesertim cum, subsequentes imperatores solis electorum votis purpuras accepisse, iam aliunde constet. Quid? quod pluries postea ratum illud ius habuit integrum Imperium, cum Ludouicus IV. in comitiis Francofurtanis anno 1338. constitutionem de iure et excellentia Imperii rogaret, <sup>13)</sup> eundemque anno insequenti confirmaret, adderetque, ne quis vnquam praeter Electores regem crearet Germaniae. <sup>14)</sup> Nec teme-

11) De quibus conferri meretur Chron. Salisb. ad ann. 1275. in Pezii script. Austr. Tom. I. p. 374.

12) Verba sunt ipsius Rudolphi apud Tolnerum in Cod. Diplom. Palat. no. 107. p. 75. sq. Quo modo vterque postea iuri suo inuigilauerit, recenset Io. Frider. Joachim in der Samml. verm. Anmerk. p. 192. sqq.

13) Prostat apud Albericum de

Rosate ad l. 3. C. de Quadriennii Praescript. qua „*vt electus in Imperatorem concorditer vel a maiori parte Electorum ex sola electione censeatur, et habeatur ab omnibus pro vero et legitimo Imperatore*“, cauetur.

14) Acta comitialia exhibet Gollastus in Constitution. Imp. Tom. III p. 411. vbi: *ad haec multa praecleara proponit publica atque solenni accla-*



temere quis superfluum Imperatoris in tuendis electorum iuribus habebit diligentiam, modo callidissimas Pontificum insidias, libertati Germaniae fractas, contempletur. 15) Quibus praemissis, vnusquisque facile intelliget, sententiam eorum, qui per A. B. demum anno 1356. a Carolo IV. electoribus ius eligendi Imperatorum collatum esse contendunt, falsissimam esse, quippe quam non solum rerum antea gestarum monumenta, sed et ipsa A. B. refutat, quum Cap. I. pr. Cap. II. §. 8. Cap. IV. V. IX. X. alibique passim ea, quae consuetudinis — immo legis scriptae — hactenus fuissent, hac ipsa lege tantum confirmari dicantur.

## §. XII.

*Facies iuris praedeliberandi post A. B. ad Carolum vsque V.*

Rudolphus I. vti eligendi ius diplomatibus editis firmavit, ita illud etiam, quod in praedeliberando versatur, scripta lege definiuit et in tuto collocavit. Constituit enim anno 1281. in comitiis Norimbergensibus, 1) ne vlla donatio nec vlla constitutio praecedentium Caesarum ab eo, quo Fridericus II. Imperator in concilio Lugdunensi anno 1245. throno pulsus erat, tempore facta valeret, nisi a maiore electorum parte comprobata esset. 2) Obseruandum autem est, hac fere aetate insignem in modo consensum electorum declarandi mutationem accidisse. Scilicet antiquioribus temporibus, cum archiprincipes in aula curiisque solemnibus Imperatorem

*acclamatione nouas confirmationes antiquis legibus addens easque corroborans: scilicet vt electores Imperii, ET NULLVS ALIVS, regem Romanorum eligant; etc.*

15) Quas ex ipsis fontibus eleganter exposuit Christ. Guil. Franc. Wal-

chius in der Historie der roem. Paebste. p. 308. sqq.

1) De huius legis iniquitate vide, quae notauit Gebauerus im Leben K. Richards L. III. p. 411. sq.

2) apud Martene in N. Thes. Anecdot. Tom. I. p. 1169. sq.



rem comitarentur, ipsique adeo praesentes adessent, dubio procul in consilio consensuue ei praebendo voce viua vsi sunt; quod et postea ad Friderici II. vsque tempora in comitiis ideo conuocatis factum constat. Ex quo vero Germania legitimo imperante destituta fuit, semina discordiarum non poterant non enasci. Maestate igitur nulla agnita, spreta sunt comitia, nec ipse Richardus ea, metu seditionum, convocare ausus est, quo factum, vt nec electores imperatori in comitiis consensum impertiri possent; ab hoc proinde vt nihilo fecius voluntatem declararent iussi, litteris, quas consensuales nouo quodam nomine vocarunt viri eruditi, <sup>3)</sup> de reipublicae salute statuerunt. Antiquissimum eiusmodi litterarum consensus testium exemplum, quod quidem haecenus reperire mihi licuit, litterae sunt Ludouici, Comitis Palatini Rheni Bauariaeque Ducis anno 1259. editae, <sup>4)</sup> quarum exemplo constat, non Rudolphum I. demum morem scripto consensuendi introduxisse, vti vulgo traditur; quamquam inde a Rudolphi temporibus frequentior eiusmodi litterarum vsus fuit. Caeterum electores vel singuli singulas ad Imperatores litteras consensuales dedere, vel habitis electoralibus comitiis, in quibus communi consilio, Imperio quid expediret, deliberare solebant, nomine communi <sup>5)</sup> expediendas curare, vsque dum, Carolo V. regnante, comitiorum ratio frequentius habebatur, ibique electores eorumque legati frustra

3) Vocabulo Vernaculae: *Willebrüese* Maximilianum I. ao. 1498. primo vsu esse conicit Frid. Hahn in *Obs. Jur. Publ. med. aeu.* p. 24.

4) in Io. Dav. Koeleri *Historia Dominorum et comitum de Wolfstein.* in *Cod. Dipl. lit. E.* p. 11. sq.

5) Omnium omnino singulorumque electorum consensu ob negotiorum

grauitatem opus fuisse, dubio caret. Hinc etiam electores in vnione ao. 1424. inita pacti sunt, se in votorum discordia habitis desuper conuentibus maiorem eorum partem in expediendis consensionis litteris esse secuturos, idque in vnione electorali ao. 1446. Francofurti repetitum est.



fragari praesentes poterant, quo ipso litterae consensuales usu exciderunt. 6) Erunt forte, qui, in quibus potissimum causis electorum consensu opus fuerit, rem dignam putabunt, in quam accuratius inquiratur. Quos scire velim, difficulter admodum eiusmodi negotiorum genera certa defini-ri; quam, quae Caesaris vnus arbitrio reseruata, quae Caesareo-Electoralia, quaeue comitialia essent iura, eius aequi leges non satis discreuerint. Itaque in vniuersum obseruandum, in omnibus grauioribus, Imperiique salutem immediate spectantibus negotiis, legibus licet nondum terminatis, solos plerumque electores Imperatori consensum praebuisse; si tamen singulae definiendae sint causae, has potiores fuisse. Scilicet requirebatur electorum consensus prae ceteris I. in causis, feuda Imperii concernentibus; vbi videlicet de feudo Imperii constituendo, 7) in alium quouis modo transferendo, nec minus de spe illud acquirendi cuiquam conferenda quaestio mouebatur. II. Quoties honoribus dignitatibusque tantum non cuiusuis generis quis ornandus erat, 8) ac proinde

6) Quod sub Maximiliano I. factum esse putat Io. Dau. Koelerus in der deutsch. Reichshist. p. 259. verum de his litteris abolendis in comitiis Wormatiensibus, ao. 1521. habitis, cogitatum fuisse, non sine ratione suspicatur Ohlenschlagerus in der n. Erl. d. güldn. Bullc. §. 74. p. 291. sq.

7) Sic Wernerus Moguntinus, Ioannes Saxonicus, et Otto Brandenburgicus, electores, quae Guilielmus et Rudolphus imperatores de feudis quibusdam, Ioanni de Auenis conferendis decreuerant, rata esse, talibus litteris declararunt. Cf. Martene Thes. Anecdor. Tom. I. p. 1132. 1161. 1190. Albertus I. Im-

perator, vt, se valide filiis suis Austriacas prouincias tradidisse, testaretur, hoc: de libero et *expresso* consensu principum Imperii, ius in electione regis Romani de iure et antiqua consuetudine obtinentium, factum esse profiteretur. ap. Dumontium in Corps diplom. Tom. I. P. I. p. 314.

8) De principum encomio iureque suffragandi in comitiis Hassiae Landgrauis consentientibus electoribus ab Adolpho Nassouensi Imp. collato auctor est Estor in Origin. I. P. Hass. §. 67. p. 131. Fridericus Saxoniae elector, cum Fridericus III. Imp. Matthaeum Henricum Nicolaum et Franciscum, Schlickios nobilium liberorumque dominorum praerogata-



inde si quis statuum corpori annumerari cuperet, 9) sique inaequalis matrimonii odio persequutus quis Imperatorem, ius succedendi in dignitatem patris ut sibi impertiretur, 10) rogaret. III. in constituendis vestigialibus. 11) IV. Si privilegia concedenda, concessaue, aut pacta statuum Imperii inter se inita confirmanda petebantur. 12) V. Quatenus denique bonorum Imperii alienatio aliter rata haud habebatur, nisi electorum consensu munitus eam susciperet Imperator. 13) Ceterum

rogatiua exornasset, hunc actum Imperialem, datis in eam rem confessionis litteris, ao. 1460 confirmavit; ultimas has, quas ego quidem vidi, eiusmodi litteras exhibet Generosiss. Io. Henr. Christ. de Selchow in Exercitat. de renouat. nobilitatis §. 6. inserta Eiusd. Electis Iuris Germ. publ. et priu. p. 261.

9) Quod exemplum in not. 8) adductum probat.

10) Ita maioris securitatis causa cum liberi a Reinhardo comite Hanouienti, eiusque vxore Adelheida, procreati, ne nascendi vitio laborarent, a Rudolpho I. ao. 1273. diploma expetiissent, electorum consensu muniri curauerunt. Lünig. Part. spec. Cont. II. von Grafen und Herren p. 519. 521.

11) Principum consensum vestigialibus constituendis iam sub Frider. I. Imp. necessarium fuisse, supra §. VII. docuimus; sub Friderico III. reliquis exclusis solummodo electores eo nomine consensisse, conicit Iac. Car. Spenerus in dem teutsch. Iur. Publ. Lib. IV. Cap. VI. pag. 247.

12) Prioris generis specimen perhibet Lünig in Cont. I. unter Oesterreich p. 9. quo electores ao. 1283. privilegiis domui Austriacae concedendis consensum praebuerunt, quod officium in renouatione privilegiorum a Frider. III. Imp. eidem domui ao. 1473. datorum etiam praestitit Ernestus, Saxoniae Elector, teste Müllero, im Reichstagsrheatro unter Kayser Frider. V. p. 318. sq. Privilegia fedi Romanae collata electores rata habuisse ob oculos ponit Lünig in Cont. spic. Eccl. p. 181. Pactorum a principibus inter se initorum Caesaris electorumque consensu munitorum specimina protulit Walch. in comment. de litt. Elector. consens. test. p. 13.

13) Bona Imperii a Richardo Imp. alienata Rudolphus I. ao. 1287. in comitiis Norimbergensibus retraxit, eamque alienationem propterea nullam esse iudicauit, quia sine electorum consensu facta esset, quod testatur diploma in Martene Thes. Anecdotor. Tom. I. p. 1196. Plura exempla bonorum Imperii, accedente demum electorali consensu, alius dono pignorisque loco datorum perhibet idem Walchius l. c. p. 13. sq.



rerum fines iuris praedeliberandi ad Caroli V. vsque tempo-  
ra vagi nullisque iustis limitibus satis descripti fuere, donec  
eorum regundorum initium Caroli V. pactis conuentis fa-  
ctum recentioribusque imperii legibus accuratius res omnis  
definita est.





Q1 7/12182

**E P I M E T P A.**

- I. *Dominium occupatione acquiri, e iuris Naturae praeceptis non liquet.*
- II. *Aliam obligationem conmatam, praeter negatiuam, ius naturae docet nullam.*
- III. *Nullam constitutionem criminalem ordinibus Imp. proposuit Imp. Maximilianus I.*
- IV. *Comes ad Rhenum Palatinus in causa Caesaris feudali iudicauit.*
- V. *Palatinatus Thuringiae extitit nunquam.*
- VI. *Legislator Ephesinus in cap. 5. X. de Praescript. perperam habetur Hermodorus.*




X 2374819

Handwritten initials or signature in blue ink.







*N. N. II 86.*  
*N. 174.*

II K  
2182

ORIGINES IVRIS ELIGENDI  
ET PRAEDELIBERANDI  
PRINCIPVM ELECTORVM  
S. R. I.

ORDINIS PHILOSOPHORVM AMPLISSIMI

AVCTORITATE

P R A E S I D E

IACOBO FRIDERICO KEESIO

A. M. ET ADVOC. IMMATR.

DIE XIV. CAL. DECEMBRIS MDCCCXXV.

H. L. Q. C.

T V E B I T V R

CHRISTIANVS FRIDERICVS SCHMIDT

N V M B V R G E N S I S

L I P S I A E

E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A